aliquando gloriam inumbrent, ne iniustæ dextræ
Sceptrum olim extorqueant, sed quid possunt par-
vuli et miserijs potius quam Regnis innutriti?
timet tamen et suspicatur: Virgam de caso trun-
co parem parenti surrecturam exiguo tempore,
et relictum cinerem de magno igne aliquando vi-
res resumpturum? at innocentes sunt, quid vanas
necto causas? Sunt innocentes fateor sed Tyran-
ni eodem ferro, et innocentes, et nocentes metunt:
ergo occidentur? et Principes lictoris ferrum iugulo
excipient ò quantum nefas dies illa est spectatura: et
occidentur? fallor nimium timori credo: verebitur
humana iura timebit insueti sceleris furias, horre-
bit tam enorme crimen, inauditam hanc carnificinam
formidabit, et tandem ignoscet filijs sic augurari
placet, sic iuvat vaticinari: Reliquum ò Imperator
tibi hoc corpus, et tuis aris dicatam victimam offero
in hoc quidquid peccatum est ulciscere, immerge gladium
visceribus, discerpe, lania, nihil recuso, habes sponta-
neam hostiam, quid moraris? Vos verò ò filij ul-
timum valete: quid suspiratis? valete hoc solum
Patri vestro præstate, quando carnificis manu vobis